

CXII.

Anno 1531. die 27. Augusti. In oppido Scherdingen.

Ferdinandus I. Rex post mortem Bani Joannis Torquati Karlović Episcopum Tinniniensem Andream primum Locumtenentem Banalem nominat.

Ferdinandus Diuina fauente clemencia Romanorum Rex semper Augustus, ac Germanie, Hungarie, Bohemie &c. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austrie &c. Reuerendi, Magnifici, Venerabiles, Egregij, Nobiles, Prudentes et Circumspecti, fideles dilecti. Cum accepissemus Spectabilem ac Magnificum quondam Io. Torquatium Comitem Corbauie suum, sicuti Altissimo placuit, diem obijisse, Nos ea statim cura inuasit, vt eum in demortui locum surrogemus, qui et nobis et Regno vobisque consolacioni non modice, atque etiam vtilis et idoneus ad Banatus officium esse videretur. De quo cum adhuc deliberemus et circumspicimus, qui magis et conuenientius atque etiam cercius offitio illi sit preficiendus, Reuerendo, deuoto, fideli nobis dilecto Andree Episcopo Tinniniensi commisimus, vt interea quam successor eligatur, ea munia vicesque obeat et agat, que Banus ipse, si iam nominatus et presens esset, vel nosmet adessemus, agere possemus, atque omnia ea agat et faciat, que ad commodum nostrum, Regnique conseruationem ac vestram vtilitatem et defensionem neccessaria et opportuna videbuntur, auctoritate nostra Regia sibi in hac parte et ad tantum, vt premissum est, tempus attributa et concessa. Quare fidelitatibus vestris et cuiuslibet vestrum harum serie firmiter et strictissime committimus et mandamus, quatenus prenominationum Episcopum pro tali, qualem in hys esse et fore iussimus et volumus, agnoscere, tenere et habere, eique in omnibus licitis et honestis, que nostri, Regnique et vestri causa vobis imponet et committet, parere et obedire, eiusque Jussa et monita exequi, adimplere et obseruare, talesque vos erga eum, quousque Banum vobis designauerimus, gerere et exhibere debeatis et teneamini, sicuti vestre in nos fidei et Juramenti debito congruit, vosque vti fideles subditos nostros haud dubie facturos esse confidimus, atque erga vos et vestrum quemlibet gratiose, dum dabitur occasio, recognoscemus. Datum in oppido Scherdingen die vicesima septima Mensis Augusti. Anno Domini Millesimo Quingentesimo trigesimo primo. Regnorum nostrorum Romani primo, aliorum vero omnium quinto.

Ferdinandus m. p.

Ad Mandatum Sacre Regie Maiestatis proprium.

Jo. Mainsll m. p.